

dienum adpellatio sit der Holzaffen b) idem adpareat in aliis exemplis, v. g. der Ilfaten, Elfasser; Landaffen; Erbsaffen; &c. c) literae t & s conficiant alibi quoque in vernacula x; d) antiqua etiam diplomata Sattones habeant. In ortu gentis grauior controuersia. Repetunt eam alii a Danis; alii a Cimbris; alii a Suecis; alii a Frisiis; alii ab Hunnis; alii a Sazis Asiaticis; alii a Macedonibus; alii, quod nihil proditum de origine videant, eos indigenas dicunt; ludunt etiam alii aliter. Ego, operam neque in hisce rebus perendam esse, existimauerim.

§. II. Sed gens, quae diu in obscuro delituerat, mox (e) rerum gestarum gloria caput extollere coepit. Quo factum est, vt victricibus armis Saxones (f) Albim fl. transfirent, prolatisque limitibus, suae ditionis facerent, quicquid Rheno ac Albi fluminibus ab Hercynia silua ad maritimas oras continetur. Slesuici, Holsatiae, Saxoniae inferioris, Westphaliaeque ducatum nominibus hodiernis pristina Saxonum dominia distingueres. Potentiores igitur facti, piratica BATAVIAM infestarunt cc. an. 350. BRITANNIAM, Hengisto ac Horso ducibus, expugnarunt cc. an. 450. atque, ut Italiae inuasionem ac Attilae certamina praeteream, cum THVRINGIS ac FRANCIS, vicinis suis, arma manusque haud raro conferuerunt ab an. 500.

De Religione Saxonum & Irmenfula, der Hermanns-  
Gäulen Meibomius, Albinus, aliique: qui etiam vetustam  
reipublicae

(e) Seculo tertio & quarto Saxonum nomen iam inclaruit. Ammianus Marcellinus, qui Historiam Romanorum, vbi Tacitus definit, inchoat, eos passim nominat, neminemque fere praeter Saxones, Alemannos ac Francos, in rebus praesertim Constantii & Iuliani celebrat.

(f) Cum Franci inter Rhenum, Visurgim, & Albim alias habitantes per Galliam fines armis victricibus extenderent, Saxones Albim transeuntes haec loca subiugarunt. Anonymus Ravennas lib. IV. Geograph. §. 7. inter flumina Saxoniae refert Lamazon (i. e. Amasum, Embß,) Ipadum, (Paderfl.) Lippam etiam Lupiam dictam, Linae, (h. e. Leine.) Seculo VI. partem quoque Thuringiae, quae eis cis Unstrutum sita, occuparunt, quod ex Eginhardo docet Adam Bremensis lib. I. Hist. Eccl. c. 4. & Saxenburgum testatur.